

gitur. Annunciatur mors per mulierē in horto, in horto per mulierem vita resurgentis proclamatur. Apparuit Deus iratus in horto primum mulieri post lapsum, & post resurrectionem mulieri primum in horto placatus Deus astitit: Quæ prima culpam in horto in nos transfuderat, prima in horto transfudit & gratiam. Sed ubi sunt, dixeris, de quibus præter hominum memoriam amplius restat nihil? Fidem verbis habebis scio, si Pythagoram convivium lautissimum instituisse credideris absque cibo aut potu. Danda utique homini aliqua est recreatio, quæ si præcidatur corpori, eadem ne subtrahatur animo vide. Redimus mente in præterita, quo corpore non licet: quo non possunt pedes, animus ire valet.

§. II.

Ut verò ab ovo, quod dicitur, rem ordiamur, sunt, qui *horti* natales in Latio quærunt, non desunt qui eosdem ex Græcia repetunt. Et illi quidem hortum ab *oriri* deductum putant, quæ sententia est Isidori lib. XVII. de R. R. Cap. 10. eò quod in hortis semper aliquid oriatur. Hi verò in diversas abeunt partes: nonnulli enim vocem *horti* ex *χόρτος* formant, quod Græcis fænum, herbam virentem, cibum & septum, quo aula cincta est, denotat; unde quidam per *περίφραγμα* reddunt, ut ita vi nominis *hortus* significet locum munitum & circumcirca septum, qui plantas alit atque custodit: Alii, in quibus est Martinus in Lex. Etym. sub voce *hortus* eandem ex *ἐργος* deducere malunt; inde enim fieri dicunt *horctus* i. e. munitus, fortis, & cum duriusculè sonet vox, factum exinde *hortus* videtur. Sed conciliari forsan haud difficili negotio utraque sententia poterit, si dicas, primam hanc & immediatam esse Etymologiam, mediatam & remotam alteram, utramque vero ex uno fonte, verbo scilicet *ἔργω*, quod idem est ac munio, fluere. Græcis hortus dicitur *κῆπος*, ut Etymologistis, quos adducit Stephanus in Lexico, placet, à *κάπω* vel *κάπος*, ventus aut flatus: Ut ita vi originis *κῆπος* sit *ὁ περιπνεόμενος καὶ ἐυάνεμος τόπος*, ut Hesychius explicat, i. e. locus qui undique

dique